



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Frankofurti, 1671

Cap. XXIV. De Thensa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13156**

## De Thenfa.

*Thenfa. Tensa. Asconius exponitur. Scaliger defenditur contra Vossium. Lintea in thenfis nulla. Onuphrius & Argolus refutantur. Svetonii locus ab emendatione prava liberatur & exponitur. Thenfa, currus. Vehicula thenfarum. Eburnea & argentea fuere. Schottus bis refutatur, & Vrsinus. Onuphrii pictura rejiciuntur. Vehiculum cum rotis quatuor, & supernè planum fuit. Adjunctos habuit equos. Lora in eis. Ciceronis lectio vetus asserta contra Lipsium. Schottus denuò rejicitur. Equus langvens in thenfa, irritum facit sacrum. In thenfis Deorum imagines. Exuvia. Tertullianus aliter, quam factum à Salmasio, exponitur. Dionis versio castigatur. Πυμπίων. Schottus denuò refutatur. Varro exponitur. Ομφάλοι. Tensaria. Philoxenus explicatur. Thenfa Deorum & Cesarum. Pacatus exponitur. Aurigammanuleva tangere habenas nefas habitum. Thenfarum deductio, qualis. Aliud est ducere, aliud deducere thenfias. Deducentes pulchrè vestiti & coronati. Singula thenfa habebant singulos deducentes. Thenfa ex quo & in quem locum deductæ. Pulvinar Deorum. Nomenclatores thenfarum. Inscriptio vetus explicata. Thenfarii. Ingares. Accommodare fræna. Tentores. Onuphrius notatur & Scaliger. Grotius emendatur & exponitur. Horti templi. Ἀδὰ. Titinnius emendatur. Grassari. An & thenfa non sacra. Turnebus revellitur. Nonius emendatur.*

**E**Gimus hucusque de eo genere vehiculorum, quod vel semper vel certè plurimum duabus incedere rotis consuevit. Veniamus nunc ad alterum, quod habebat rotas quatuor. Ex eo primum *thenfam* memorabimus, quam & *tensam* scribunt. Ita sanè factum Vossio in Etymologico. Neque aliter, quam *tensa*, reperitur in antiquis Festi schedis, si qua fides est editioni, à Scaligero publicatæ. Sed & apud Ciceronem semel iterumque ita scriptum videas in editione Vignoni Anno MDXCVI. emissâ. Nam in editionibus aliis vetustioribus præsertim adspiratio adjicitur, qua cum cæteri ferè omnes formant. Causa, cur diverso scribant modo, non videtur alia, quam quod de origine ipsius non conveniant, cum alii dedu-

cant

cant à *θεῖν*, alii à *tenendo*. Asconius in Verrin. III. *Thensas alii à divinitate dici putabant, alii, quod ante ipsas lora tendantur, quæ gaudent manu tenere & tangeré, qui eas deducunt.* Quando ait à *divinitate*, non vocabulum intelligendum est, nec enim *thenſa* inde potest derivari, verum ipsa res, quatenus tamen Græcis explicatur. Vult nempe ita dictas, quod sint divina vehicula, qualia Græcis *θεῖα*. Servius deducit à *θεῖν*, quod est, *rem divinam facere*, quia pertinebant ad negotia divina, & ceremonias, ut mox indicabimus. Verba ejus extant lib. I. *Æneid. Thenſa autem cum aspiratione scribitur, ἄπο τῆ θεῖν, id est, à re divina.* Ubi nota, Servium docere de scriptura, quod recepta fuerit cum adspiratione. Unde colligit, ἄπο τῆ θεῖν deduci rectius hoc vocabulum, quam à *tenendo*. Atq; hæc etiam Scaligeri sententia, quam puto ipse quoq; amplectendam. Convenit profectò non scripturæ solum, sed & rei ipsi, cum illa altera à *tenendo* neutrum satis sequatur. Nam quod Vossius existimat sic dictas, *quia statua Deorum, quæ thenſis ferebantur, velarentur circumquaque linteis, ad cubiculi seu delubri speciem tensis, vel ideò probari nequit, quia linteæ ejusmodi in thenſis non fuere, quod mox apparebit.* Equidem & Onuphrius sic describit lib. II. de Ludis: *Erant thenſe sacri currus, super quos Deorum statua collocata erant, quæ linteis circumcirca ad cubiculi sive delubri speciem tensis cooperiebantur.* Subdit postea Festi locum, & Asconii, qui tamen de linteis nullam faciunt mentionem. Adeò non video, qui probari possit Argoli sententia, dicto Onuphrii proposita loco, quando *tenſas* nil existimat fuisse aliud, quam parva quædam vela. Verba ejus hæc sunt: *Non apud ludos tantum in curribus, sed etiam domi thenſe, erant quæ explicata parva vela tribunali, qualibus nunc etiam Romæ Cardinales utuntur, sub quibus sella Principum ponitur.* Putat, ut apparet, *tenſas* fuisse vela explicata, instar tentoriolorum; Ea existimat nunc imposita curribus, nunc collocata locis aliis, ut pro tribunali, Solis ætusq; arcendi gratia. Quod ut probet, adfert verba Svetonii ex *Julio*, quæ sic scribit: *Sed ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus sedem auream in curru, & pro tribunali thenſam, & ferculum in Circensispompa.* Verum liquet esse prava codicis sui distinctione deceptum,

ceptum, atque depravatione alia. Nam sic habent libri meliores omnes: *Sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum in Circensi pompa.* Nulla ipsi thensa decreta fuit pro tribunali, verum sedes aurea. Thensa pertinebat ad Circensem pompam. Quare frustra ex hoc loco tentoriolum exponitur, nec magis ex Plutarcho, mores Persarum memorante, vel Corippo, quando neuter de his thensis agit. Thensa plane, ut nunc speciem ipsius explicemus, fuit non tentoriolum aut velum, sed vehiculum. Diomedes clarè lib. I. *Thenfa Deorum vehiculum.* Item Asconius: *Thenfa sacra sunt vehicula pompa ordinum & hostiarum.* Ita Philoxenus: *Thenfa, ἀγυα θεῶν.* Hinc *vehicula thenfarum* apud Ciceronem in Verrinis: *Omnes Dii, qui vehiculis thenfarum solennes cœtus ludorum initis.* Plaustra nominavit Tertullianus de Spectaculis, cap. 3. per contemptum, ut opinor: *Si unam thensam trahat, Iovis tamen plaustrum est.* Materia ejusmodi thenfarum fuit nonnunquam ex ebore, nonnunquam ex argento. Festus clarè, vocabulo *thenfa*: *Fuit & ex ebore, ut apud Titinium, in Barbato, & ex argento.* Itaque non probo, quod à Schotto traditur lib. IV. Nod. Cic. cap. 6. Verba ejus hæc sunt: *Ex qualibet, porro, materia factas (thenfas) ait Festus, nihil tamen vetat, quin credamus ligneas factas ex ea arbore, quæ cuilibet Deo sacra esset.* Certè adeò non ex qualibet materia factas Festus ait, ut nominatim ebur memoret ac argentum, alia exclusa. Quamquam ebur illud ac argentum sine dubio spectarint magis ad ornatum, inductumque ac incrustatum sibi habuerint vehicula thenfarum. Formam hæc tenus pervaserunt sibi eam, qualis cernitur in quibusdam nummis. Schottus: *Thenfarum forma expressa est in Numismate apud Fulvium Ursinum in gente Rubria.* Hæc Schottus hanc sententiam haud dubie ab Ursino ipso. At Ursini sola conjectura est, neque habet, unde confirmetur. Contra multa sunt, quæ ipsam revellant. Nam primo nulla hic imago divina, quam tamen thensa portari consuevisse certum, atque in sequentibus monstrabitur. Deinde in ipsius parte suprema sive tecto est Victoria devolans, coronamque lauream imponens equis. At hoc nil ad thenfas. Quinimò in nummo Illustrissimi Excellentissimique Viri, Comitum Magni de la Gardie,

*Cardie*, Regni Sveciæ Cancellarii magni, non Victoria solum cernitur, sed & bigæ, quibus insistit; Qui cum hæctenus vel plane non, vel non ita, sicut debet, sit expressus, à me hic apponetur.



Vides expresse clareq; bigas in vehiculo præfenti. Jam verò bigæ plane non ad thensas pertinent. Sed nec lora hic cernuntur, quæ Afconius in thenfis memorat. Ut quodvis aliud sit vehiculum, quam thensa, quod in nummo antea allato est propositum. Maxime, cum & Onuphrius alia exhibeat figura, quæ videri apud ipsum potest pag. 87. & sequentibus. Ex qua si nihil aliud, hoc saltem colligas, esse dubia incertaqve, quæ de forma thenfarum afferuntur. Quamquam, si rem bene ponderes, Onuphrius exhibeat non thenfas, verum currus aut carpenta, quod ex iis, quæ à nobis alibi sunt dicta, facile colligitur. Thensæ profectò apud ipsum sunt formatae ad imaginem illius, quod in nummo Faustinae cernitur, vehiculi. Jam verò thensam id fuisse, aut Faustinae sibi habuisse decretam nemo ex veteribus commemorat. Denique, si veteres consulimus, alia illius observari potest species. Nam si fuit similis illis vehiculis, quibus Ptolomæus Philadelphus in pompa apud Athenæum lib. V. simulachra Deorum traduxit, quod quidem censet Casaubonus ad Julium Svetonii, apparet fuisse latam longamqve, & humilem, superne planam, rotisq; incessisse quatuor. Sic enim describit unum dicto loco: *Post hos quatuor rotis currus agebatur à centum & octoginta viris, longus cubitos quatuordecim, latus octo, in quo stabat effigies*

P P

*Bacchi,*

Bacchi, cubitorum decem, ex aureo carchesio libantis, cum tunica purpurea ad talos demissa. Nec fortassis causa est, cur dubitemus multum, quando cætera conveniunt non pauca, ut liquebit postea. Sed & equum Dianæ, sicuti describitur Virgilio, in urbem Trojam tractum, speciem quandam thensarum putant præ se tulisse. Hinc enim Asconius de thensis agens: *Ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere ac tangere, qui eas deducunt.* Quæ manifestè sumpta sunt ex illo Virgilio:

-- -- *Funemque manu contingere gaudent.*

Quo deductionem equi nominati describit. Jam verò equus ille stetit in ejusmodi videtur tabulato, quale Athenæus memorat, cum rotis quatuor. Tangitq; ac intelligit Dictis, quando de illius fabro lib. V. ait: *Ima, quæ sub pedibus erant, rotis interpositis suspenderat, scilicet, quo attractu motus facilis foret.* Nam per *ima, quæ sub pedibus erant*, sine dubio id planum intelligit, quod dixi. Ad postremum ne imago quidem recedit, quæ cernitur in tabula marmorea ludorum Circensium Fulginii extante, ac exhibita Onuphrio p. ii. si, quod arbitror, thensam exprimit, nisi quod dimidia sui parte tantum cerni possit. Sanè, si & illi alteram dimidiam addideris, habebis vehiculum cum rotis quatuor, supernè planum, quale thensam credimus fuisse. Trahebatur porro hoc vehiculum ab equis. Sic colligimus ex Plutarcho, quando ita habet in Coriolano: *ἵππε γὰρ εἰδὸς τῶν ἀγόνων τὰς καλεμένας θήσας ἀπονήσαντο, καὶ πάλιν τῶν ἰνιόχων τῆ ἀριστερᾷ χειρὶ τὰς ἰνίας συλλαβόντες αὐτοὺς ἐπιφίσαντο πρὸς πομπὴν ἐπιτελεῖν.* *Si equus unus eorum, qui thensas trahunt, clangisset, aut si leva manu prehendisset auriga habenas, pompam de novo decernebant instituendam.* Vides plane, tractum ab equis, eisq; pluribus. At videtur aliud docere Asconius in verbis antea prolatis, ubi ait, *thensas à quibusdam putatas dici, quod ante ipsas lora tendantur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.* Colligas hinc, thensas loro tractas ab hominibus. Atq; facit lori ejus mentionem Cicero quoq; in de Arusp. Resp. ubi ait, fieri contra religionem, *si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus & matrimus si terram non tenuit, aut tensam, aut lorum omisit.* Pro eo, quod habetur, *si terram*

*non tenuit*, emendat Lipsius *siferram*, vel *sifarram non tenuit*. Verum esse frustraneam emendationem illam, docet Arnobius, in cuius libro IV. eadem occurrunt verba, sine dubio ex Cicerone desumpta. *Commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit; aut si patrimus ille qui vocitatur puer omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit.* Nemo persuadebit sibi, vitium utrobique commissum. Fit autem & hoc loco Arnobij mentio lori, quem de thenſæ loro accipiunt. Ita enim Heraldus ad prædicta verba: *Omisit per ignorantiam lorum.* Quod tenebant ij, qui thenſam deducebant, ut docet Afconius. Dicit & ipse, tenuisse: quomodo vero, nisi cum tracto eo tenſam ducerent? Nam quod nescio ex quo foramine in thenſæ medio pependisse lora scribit Schottus, quæ gestiebant tangere, id nec certo aliquo dicitur auctore, cum foraminis illius Cicero mentionem nullam faciat, nec sensum habet aliquem idoneum. Contra de thenſis loro tractis videtur posse colligi ex Athenæo, qui ad thenſas pompæ Ptolomæianæ nunc centum & octoginta, nunc plures etiam commemorat viros trahentes. Sed & in equo Trojano hoc observat Virgilius, quando ait lib. II.

— — — *Circum pueri innuptæ puella*

*Sacra canunt, funemq; manu contingere gaudent.*

Cum ergo lora fuerint in thenſis, nec à latere ipsarum, sive medio pendula, sed ante ipsas tenſa, ut testis est Afconius, neque hoc intelligi idonee, nisi cum trahendo tenſas ab ijs, qui tenere manu gaudent, tenduntur, utiq; vix constat, quomodo ut equi traxerint. Nisi dicamus, processisse thenſas ope duplici, vel saltem lora funesque, quibus ad thenſas juncti fuerunt equi, manu tenere ac tangere illos consuevisse, qui ducebant. Cum præsertim metus esset, ne langvescente aliquo ex equis sacrum totum redderetur irritum. De equis sane dubitari nequit, quia locus Plutarchi nimis manifeste docet. Cæterum quot equi, quoque modo juncti fuerint, difficile est divinare. Si Schotti & Ursini sententia valeret, habuisse quatuor, quadrigarum instar appareret. Idem

diceremus, si sequendus esset Goltzius, quippe qui appellat then-  
sam vehiculum Augusti cum adjunctis elephantis quatuor, in Au-  
gusti vita pag. 77. At id vehiculum veteres non *thenfam* vocant,  
verum *currum*, quod jam in superioribus ostendimus. Sed nec the-  
sam *quadrigas* nuncupari legas. Deniq; cum ductæ sint non ab e-  
quis solum, verum etiam hominibus, lora tenentibus, ut dixi, eo  
propendo, ut equos singulos unum post alterum, sive duos, sive  
tres existimem adjunctos. Usus thenfarum fuit, ut in ijs ducerentur  
imagines deorum in pompa Circensi. De imaginibus disertim  
testis est Servius ad Virgilij lib. i. *Thenfa significat, qua deorum simu-  
lachra portabantur.* Sinius ubi agit de eadem re apud Festum, non  
*simulachra*, sed *exuvias deorum* thensis sectas scribit. Verba Festi,  
quibus hoc testatur, illa sunt: *Thenfam ait vocari Sinius Capite ve-  
hiculum, quo exuvia deorum ludicris circensibus in circum ad pulvina-  
ria vehuntur.* Sunt autem exuviae ab exuendo dictæ, quia exuuntur,  
ut vestes, pro quibus leguntur apud Virgilium Eclog. VIII.  
ver. 91. Ita usurpavit & Tertullianus in lib. de Pallio cap. 4.  
*Enim vero cum hanc primum sapientiam vestit, qua vanissimis super-  
stitionibus renuit, tunc certissime pallium super omnes exuvias &  
peplos augusta vestis deducit oculos.* Salmasius hoc loco: *Exuvia  
& pepli deorum ornamenta, & pepli quidem dearum, ut peplus Mi-  
nerve, peplus Iunonis, peplus deæ cælestis apud Trebellium, exuvia  
deorum dearumq; communes.* Subdit inde locum Festi, Svetoni-  
umque ac Apulejum earum ait meminisse. Svetonij verba extant  
in Augusto cap. 94. *Videre visus est filium mortali specie ampliorem,  
cum fulmine & sceptro, exuviisq; Iovis Opt. Max. ac radiata corona.*  
In quibus verbis exuviae non sunt ornamenta quævis, sed vestes.  
Quod apparet, quia separantur à sceptro & radiata coronâ, quæ  
alias & ipsa inter ornamenta Jovis. Apulejus posuisse pro insigni-  
bus videtur. Agit enim de pompa Isis, & post illa verba, Sal-  
masio laudata: *Antistites sacrorum proceres illi, qui candido lin-  
teamine cinctum pectoralem ad usq; vestigia strictim injecti, potentissi-  
morum deum præferabant insignes exuvias:* Subdit, primum ge-  
stasse lucernam, secundum altaria, tertium palmam, & cadu-  
ceum.

ceum &c. quæ omnia non tam vestes ornamentaque, quàm insignia, quibus hic illeve deorum denotatur. Quare dubium, quid Sinius censuerit super thenfas positum fuisse; num vestes an insignia, an potius ista omnia una cum simulachris ipsis. Id quod mihi quidem vero maxime videtur consentaneum, qui existimo, voluisse nominatim memorare exuvias, quo constaret, ista simulachra fuisse ornata vestibus, & insignia habuisse sua, Jovem fulmen, Saturnum falcem, Neptunum tridentem, atq; sic deinceps. Nam de simulachris quidem nimis clare ex Servio cognoscimus. Firmatq; Dio lib. LXXVIII. ubi in Circensi pompa verbis expressis simulachrum Martis nominat. Ἐν δὲ δὴ τῇ πρώτῃ ἰσποδρομίας ἡρώμενης, κατέπεσε τὸ τῆς Ἀείθε ἀγάλμα πομπεῖον. Vertunt: *Præterea Romæ factis ludis Circensibus simulachrum Martis, quod erat habitu triumphali decidit.* Sed πομπεῖον, non significat, quod erat habitu triumphali. Quare alij sic maluerunt: *signum Martis in solenni pompa decidit.* At ne sic quidem Græci mentem satis explicarunt. Nam πομπεῖον hic, quod in pompa incedit, vehiculo nimirum suo insitens, quod hic intelligere aliud non possumus, quam thenfam. In thenfa igitur fuit τὸ τῆς Ἀείθε ἀγάλμα, quod non de insignibus ipsius nudis vestibusve, verum simulachro Martis oportere accipi manifestum est. Porro simulachra ista censet Schottus constituta in quibusdam foraminibus, quæ in medio thenfarum fuerint excavata. Verba ejus hæc sunt, loco antea laudato: *Vnaqueq; thenfa foramen in medio habebat, ad vincendum impositas imagines, quod ex Varrone lib. VI. de Lingua Lat. colligo.* Quod te dicit colligere ex Varrone, hoc intelligi non potest de eo, sicut vulgo sese habet. Verba hæc sunt: *Terra medium non hoc, sed quod vocant Delphis in æde foramen, adlatum est quiddam, ut thesauri speciem, quod Græce ὀμφαλὸν, umbilicum dixerunt.* In his verbis nulla thenfæ mentio, aut foraminis in ejus medio. Quare quod de ea tradit, illud hausit ex Varrone, ubi eum emendandum Scaliger putavit. Verba ita habent: *Est, inquit Varro, foramen simile tensorsio foramini, quod Græci vocant ὀμφαλὸν.* Homerus: ——— Ζυγὸν ὀμφαλόεντα. Enarrant Gram-

matici : ὀμφαλόεντα, ὀμφαλῶδες ἔχοντα. ὀμφαλῶδες δὲ λέγῃσι τὰς ἐν τῷ ζυγῷ τρώγλας, ἐφ' ὧν αἰλώϊαι δέδονται. *Est ergo illud foramen tenuis utrinque vincitum, quemadmodum & tensorum umbilici, in quas inseruntur funes illi, quibus utringz ad latus vinciuntur equi funales.* Liqueat ex his verbis, cur foramen Schottus fecerit in thenfa, illiusque medio, nempe quia in Varronæ nominatur *terra medium*, quia ὀμφαλῶδες vocatur, item, ut vult Scaliger, *tensorium*. At vero Scaliger nil de simulachris deorum ibi, verum equos funales dicit ad tensoria religatos. Quanquam de hoc ipso possit dubitari, cum sint ὀμφαλοὶ, quos Latine ipse dicit nominari *tensoria*, non in thenfa, nec vehiculo, sed jugo, denotentque foramina, per quæ habenæ trajiciuntur, si est fides aliqua Græcorum magistrorum, quorum verba laudat. Quicquid sit, hoc saltem liquet, nullo niti argumento, quæ de illo foramine, revinctisque ad id simulachris Schottus tradit. Cum præsertim constet ex laudatis supra verbis Dionis, simulachra illa potuisse à thenfis delabi. Κατέπεσε τὸ τῆς Ἀρεῖς ἀγαλμα inquit Dio sive Xiphilinus lib. LXXVIII. *Decidit simulachrum Martis.* Si decidit, qui stare potuit in eo foramine, qui ad id potuit esse revinctum? Potius hinc colligas, steterisse nude. Nisi malimus reposita fuisse in quibusdam quasi thronis. Sane in Philoxeni Glossario reperias, *Thenfa*, θρόνος. Cur autem thenfa, quæ fuit vehiculum, ut superius ostendi, θρόνος, sive thronus, si non fuit in ea instar throni? Quanquam vix existimem, perpetuum hoc fuisse, cum præsertim apud Athenæum videam in thenfis Ptolomæi steterisse nudis ac simplicibus. Vehabantur autem ad hunc modum simulachra deorum, qui majorum gentium sunt dicti, Jovis, Junonis, Neptuni, Minervæ, ac reliquorum. Id quod post alios ostendit & Svetonius, quando in Vespasiano c. 5. nominatim *thenfam Iovis* memorat. *Thenfam Martis* habemus apud Dionem in verbis superius allatis. Οὐχὸς τῆς Ἀθῆνας hoc est, *thenfa Minervæ* legitur apud eundem lib. XLVII. è quibus licet etiam de reliquis colligere. At sequentibus temporibus, quod peculiare quondam diis fuit, communicatum est cum Cæsaribus: nam & ipsis post obitum decretæ thenfæ, quibus veheretur imago

imago ipsorum in pompa Circensi. Primus, cui hic honor est tributus, Julius fuit, qui obtinuit etiam vivus per adulationem. Svet. Julio cap. 76. *Sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est: Sedem auream in curia & pro tribunali, thensam & ferculum Circensi pompa.* Quin imò non in Circensi pompa solum, sed & alias videri possunt uti thensis Imperatores, quando sic de iis Pacatus noster cap. 21. *Quin si quando in lucem venire, & diem ferre potuissent, lecticis thensisque subvecti, sensim atque ad numerum movebantur.* Sed quum nemo alius de thensis sic adhibitis testetur, magis est, ut invidiæ faciendæ causa credamus Pacatum appellasse thensam quodlibet aliud magnificum vehiculum. Interim hinc illud colligas, processisse thensas illas lentè ac sensim in pompa. Nec fortassis aliter debebant, propter imposita illa simulachra. Sed & qui regebant eqvòs, suas habuerunt leges, uti ex Plutarcho scimus, quas observare tenebantur, imprimis, ne manu læva caperent fræna. Dicit enim in Coriolani vita, fuisse nefas, & restaurari pompam debuisse, τὸ ἠνιόχευ τῆ ἀριστερᾷ χερὶ τὰς ἠνίας σὺμβαίνει, *si auriga frænos manu sinistra arripisset.* Sic, qui tangebant lora puer, si ea omisisset, in religionem peccabat. Nam inter ea, quibus religio violetur, Cicero memorat, *si puer ille patrimus & matrimus terram non tenuit, aut tensam aut lorum omisit,* in de Arusp. Responsis. Quod & Arnobius asserit, piaculumque committi, *si patrimus ille, qui vocatur puer, omisit per ignorantiam lorum,* lib. IV. ait. Ad postremum erant, qui has thensas deducerent, viri in dignitate magna constituti, Senatores ac id genus, quod ex Livio apparet, quando ait lib. V. cap. 41. de Senatoribus aliisque capta à Gallis urbe: *Quæ augustissima vestis est thensas ducentibus triumphantibusque, ea vestiti sedere.* Ubi thensas ducere significat deducere, ita enim alii solenniter de hoc negotio loquebantur, & à ducere thensas distinguebant. Ducere dicebant eos, qui tracto fune promovebant, at deducere, qui honoris ac officii causa prosequiebantur, id quod Senatoribus & triumphalibus viris erat usitatum. Erantq; hi pulcherrimè vestiti, sicut Livius ostendit, hoc est, togas habebant palmatas, & in capite coronas, ut declarat libro de Corona Militis Tertullianus. *Præferuntur, ait, illis hetrusca. Hoc vocabu-*

vocabulum est coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Iovem insignes ad deducendas thesas cum palmatis togis sumunt. Vides, hic ornatos togis palmatis, & coronis quercis ex auro, neque ducere thesas, sed deducere. Ipsi hoc interdum faciebant Principes: Quomodo de Augusto testatur Svetonius cap. 43. *Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine, lectica cubans, thesas deduceret.* Dicit cubans, quo id plane manifestum fit, quod dixi, non videlicet traxisse hos, aut vehiculis ipsis admovisse manus, sed ea comitatos esse, cultus honorisque gratia. Certè alias non potuisset cubans deducere, quod fecisse tamen Svetonius testatur. Quin imò videntur singuli fuisse destinati singulis. Idem etenim Svetonius in Flavio cap. 5. *Nero diebus ultimis monitus per quietem, ut thesam Iovis Opt. Max. è sacrario in domum Vespasiani & in Circum deduceret.* Jubetur Nero hic deducere thesam Jovis unius, id est, Capitis ac Principis Deorum reliquorum, ipse Princeps atque Imperator. Quod non erat conveniens, si non singuli singulas deduxere. Deducebantur autem thesæ quælibet è sacrario, ut Svetonius ostendit, id est, loco peculiari, ad cuiusque Dei templum, ubi, cum cætera supellectile sacra, thesa quoque cuiuslibet solebat servari. Et deducebantur in Circum ad pulvinar. Sennius apud Festum: *Thesa vehiculum, quo exuvia Deorum ludis Circensibus in Circum ad pulvinar vehuntur.* Fuit autem pulvinar locus peculiaris in Circo, ubi sic deductæ Deorum imagines solebant in paratis ad id lectis reponi. Sic exponit Casaubonus ad Svetonii Augustum cap. 45. ubi de Augusto: *Epulvinari spectavit, hoc est, ex Circi loco, ubi simulachra Deorum magna pompa inferri & circum metas gestari solita collocabantur.* Putatque locum eum fuisse ad Euripum, primamque frontem spectaculorum nominasse Augustum ipsum in epistola ad Liviam. Epulvinari ludis finitis deducebantur iterum ad sacrarium quælibet suum, unde intelligimus, alias stetisse ibi, ac servatas esse. Dio lib. XLVII. *Ἡ Ἱέρωθς Ἀθῆνας ὄχως πρὸς τὸ Καπιτώλιον ἐξ ἰπποδρομίας τινὸς ἑπαιτιῶν, συνεβίβη. Thesa Minervæ ex Circo in Capitolium cum esset reducenda, confracta est.* Dicit rediisse in Capitolium, unde constat, thesam Minervæ in sacrario Capitolii stetisse, indeque ad pulvinaria ludis Circensibus deduci conse-

conſueviſſe. Achæ quidem thenſæ, à quibus ſunt, qui dictos putant *Nomenclatores thenſarum*, quos exponunt eos, qui pompam diſponebant. Ita Schottus pluribus, qui pro ſe adducit veterem inſcriptionem, in qua fiat mentio Nomenclatoris hujus. Ea talis eſt:

SOLI INVICTO  
SACRUM.  
T. POMPONIUS  
REPTINUS,  
NOMENCLATOR  
TENSAR. JUGARIS,  
S. D. D. D.  
DEDIC. XV. K. JUL.  
MARULLO ET ÆLIANO COSS.  
OB DEDIC. SPORTULAS,  
DEDIT. SINGUL. II.

At verò Argolus ad Onuphrium ex inſcriptione eadem miniſtros quosdam ſacros ait appellatos *thenſarios*. *Ab officio*, inquit, *miniſtri ſacri thenſarii dicti ſunt*. Verum ego valde dubito, an ad thenſas ſpectet hæ inſcriptio. Primum enim abeſt ſpiritus, quem appoſuiſſe tamen veteres, & apponi oportere ex ſuperioribus cognovimus. Deinde, ſi cum Schotto legimus *Nomenclator tenſarum*, quo pertinet *jugaris*, quod ſubjicitur, haud liquet. Sed & ſi cum Argolo malimus *tenſarius*, quid velit illud *jugaris*, minimè cognoscitur. Quare mihi alius videtur, de quo agitur inſcriptione iſta: Is nimirum, qui in Circo jungere ad currus eqvos ſolebat, eiſque imponere fræna. Hos enim *tenſarios* vocaſſe diſcimus ex Accio, cujus verba ex Paride ſervavit nobis Nonius cap. 3. voce *frænos*, & ſunt iſta: *Fræna tenſarii equorum accommodant*. Talis tenſarius rectè vocatur *jugaris* à *jugo*, quia fræna jugis immittit. Habebant enim, uti ſupra docui, jurga quædam foramina, Græcis *ὀμφαλῆς*, vocata, Latinis *tenſaria*, per quæ fræna transmittabantur, ne turbari poſſent, aut deſluere, ſicut hodieque fit in jugis ruſticorum hic per Sveciam, quorum loco alii annulos à lateribus adjungere maluerunt. Qui ſic transmittabant, & aliaſ imponebant fræna, dicebantur ea *accommodare*, erantque hi

inter solennia Circi ministeria, & *tensarii* nuncupabantur à *tensario* foramine, & tendendo fræna, unde & *tentores* sunt, ut ex monumentis priscis docet Onuphrius lib. I. de Lud. Circ. cap. 15. Quamquam ipse perperam exponat eos, qui *vestes certantium aurigarum tenebant*, quod rectè Argolus notavit. Atq; talis fuit Repentinus iste, cujus mentio est in Inscriptione proposita, non minister sacer thensarum, quippe cujus ministerium non dici potest ullum, sed nec Nomenclator thensarum, cum si fuit Nomenclator talis, qualem Schottus memorat, is non thensarum, sed totius pompæ Nomenclator dici debuerit. Quod autem *tensarium* in Accio Scaliger ad Varronem putat dictum, ut aurigarium & essedarium, & sic eum, qui adjunctos thensis eqvos regit, intelligendum arbitratur, ideò placere nequit, quoniam à thensa esset non *tensarius* sine adspiratione, sed *thensarius*. Nam ubi aliter *thensa* scribitur, id fit errore quodam vitioq; Scribarum recentiorum, non Auctorum culpa. Id quod judico & de loco Grotii, qui est v. 533.

*Et tibi devota magnum pecuaria Cyrrhæ,*

*Phæbe, decus, nostras agere in sacraria tensas.*

Loquitur de sacrario Dianæ, in quod ducebatur thensa ejus ex pompa, ut superius ostendi. *Hortos templi* vocat Interpres vetus Juvenalis, Græci *αὐλῆν*, ut ostendit Vltizius in libelli. var. Lektion. ad Calphurnii v. 15. Liqvet ergo cū adspiratione scribi oportere. Id quod & de loco Titinni censendū, qui laudatur Turnebo lib. xxiv. Adv. c. 29. atq; ita scribitur: *Vende tensam atque mullos, sine eam pedibus grassari.* Sed opinione mea sic legendus est: *Vende thensam atque mulas, sine eam pedibus grassari.* Legunt *mulos* alii, sed *mulas* malo, quia crebrior earum usus in vehiculis, cum muli dorso potius gestarent, essentque clitellarii, sicut alibi monstravi. Et loquitur Titinnius de vehiculo muliebri, quod adjunctas mulas habuit. Dat, ut suspicor, consiliū marito adversus conjugē elati atq; impotentis animi. Subtrahere, inquit, illi, quæcunq; alunt superbiam ipsius, vende thensam & mulas, quibus gloriatur, & sine ipsam incedere pedibus: Hoc enim est *grassari*, gradum facere, ambulare. Observat alias Turnebus ex his verbis, thensas dicta interdum vehicula non sacra. *Tensas*, ait, *sacra vehicula.*

*vehicula interpretantur, sed eo verbo etiam profana veniunt & censentur.* Subdit postea Titinnij locum. Quanquam thenfas dicta vehicula profana mihi quidem non ex hoc magis loco, quam Pacati, qui à nobis est allatus in superioribus videatur liquere. Nec enim Titinnius sic vocat sua voce, verum figurate, atq; ad invidiam, quæ *carpenta* dici debuerunt. Id quod ex contextu toto, quem monstravi paulo ante, satis manifestum est. Verba integra leguntur apud Nonium in vocabulo *grassari*. *Vende thensam atq; mulas, sine eam pedibus grassari, configere eius superbiam.* Ita puto legenda. Non est, ait, opus verbis multis, ac inanibus querelis, quibus nil efficias. Re ipsa configere superbiam illius, vendito vehiculo, quo velut dea incedit in thensa. Vulgati habent *cum fingere*, nullo prorsus sensu. At *configere superbiam* re eleganter, ut *configere hostentalis*. Sic *confixum sententiis* habet Cicero in Philipp. *Diffidebant enim Servio. Meminerant eius sententiis confixum Antonium &c.* Atq; ita alij, ut vix putem dubitandum.

Cap. XXV.  
De Pilentio.

*Pilentum. Vossius rejicitur. Tuscum vehiculum, non est carpentum, nec esseda, nec petorritum, aut carrus, aut arcera. Rotas habuit quatuor. Isidorus emendatur. Petorritum contectum, quid. Servius corrigitur. Cista tecta. Pilentum fuit tectum. Macrobius exponitur. Fuit apertum à latere, molle, pensile, pictum veneto vel russo colore. Isidorus emendatur. Corrasius notatur. Servius exponitur. Fuit vehiculum matronarum, nec concessum meretricibus aut impudicis. Usurpatum ad sacra ludosq;. Trebellius explicatur & Virgilius. Sacra ducere, ferre. Matronæ deducebant sacra. Turnebus notatur & Pomponius Sabinus. Pilentum etiam in non sacris negotiis. Claudianus aliter, ac à Barthio factum, explicatus.*

**A**D pilentum venio, quod sic dictum censet Vossius, quasi fuerit bene piletum & compactum. Sed non video, cur reliquæ minus esse compacta debuerint vehicula. Requirit quodlibet structuram suam, eamq; firmam, compactam, & durabilem, si mo-